

**Dissertatio inauguralis medica de cortice Peruviano. Quam ... / Joh.
Jacobus Peyerus.**

Contributors

Peyer, Johann Jacob, active 1745.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basileae : Impressit Joh. Jacobus Thurnisius, 1745.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ncpqxwbm>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30535517>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
CORTICE PERUVIANO,
Quam

ANNUENTE DIVINO NUMINE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
JUSSU ET AUTHORITY,
IN ALMA UNIVERSITATE BASILIENSI,
Pro summis in Medicina Honoribus atque Privilegiis
Doctoralibus legitime impetrandis,

Publico Eruditorum Examini modestè submittit

JOH. JACOBUS PEYERUS,
Scaphuso - Helvetus.

Ad Diem 5. Octobr. M DCC XLV.

h. l. q. f.



B A S I L E Æ,

Impressit JOH. JACOBUS THURNISIUS, EMAN. FIL.



307147

VIRIS

*NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCEL-
LENTISSIMIS, atque EXPERIENTISSIMIS,*

DOMINO

JO. RODOLPH. ZUINGERO,

Phil. & Med. Doctōri, in Inclyta Universitate Ba-
filiensi Practices Professori Celeberrimo, Socio Collegii
Naturæ Curiosorum Meritissimo.

DOMINO

FRIDERICO ZUINGERO,

Phil. & Med. Doctōri, Serenissimæ Domûs Baada-
Durlacensis Confiliario Aulico & Medico Dignissimo,
Practico Celeberrimo;

Nec non

DOMINO

JOH. HENRICO HEGNERO,

Med. Doctōri, Vitoduri Practico Felicissimo,
Clarissimo.

STUDIORUM SUORUM PROMOTORIBUS,
FAUTORIBUS ATQUE PATRONIS

Inauguralem hancce Differtationem
facram voluit

AUTHOR.



PRÆFATIO.



Ui illam Medicinæ partem, quæ materiem medicam continet, animo circumspicit, deprehendet facile, diffusam esse admodum sylvam auxiliorum Medicorum, prolixam de remediis omnivariis doctrinam, sive eorum multitudinem, sive qualitates & vires, sive præparationes & compositiones, sive denique operationem & usum eorundem considerare velit: Ut taceam nunc loci natalis, unde in Medicinam trahi solent, diversitatem, quandoquidem nulla ferè est Regio,

quæ non singularia, & propria quædam morborum Remedia alit; ita quidem, ut Medici è qualibet terra ea promere queant, quorum ope nullum non ægritudinis genus sæpè depellere valent. Ob hanc fortè præter alias rationem quondam magni Nominis atque Potentiæ Princeps CAROLUS LUDOVICUS, Elector Palatinus, summus rei Literariæ Patronus, cum subindè ægrotaret, noluit à Medicis aliud sibi ordinari remedium, quam quod suis in terris crescens haberi posset. Verum novimus quoque incidere nonnunquam casus, in quibus, dum per inquilina qualiacunque remedia parum vel nihil planè proficitur, Medici tunc ad exotica tanquam ad sacram Anchoram confugientes, horum usu satis felices eventus intuentur: Ut adeò ad perfectionem Medici practici necessario quoque exoticorum quorumvis cognitio requiratur, præsertim cum ea subindè nova è diffitis maxime terris, & insulis Orientalibus aut Occidentalibus ad nos debebantur, inque pharmaceuticas officinas introducantur. Horum nunc plurima, si non omnia sunt simplicia, aut certè præparata, rariùs verò composita; quædam per plures annos latuerunt, donec tandem perfecte satis indefesso curiosorum Hominum in utriusque Indiæ diffitas regiones & insulas navigantium studio detecta innotuerunt. Alia verò obscurioris adhucdum sunt indaginis, si quis locum natalem desideret, aut integræ plantæ descriptionem exoptet. Unde Medicus practicus duplicem in hanc rem insumere laborem

rem necesse habet; primò namque ea quoad omnes conditiones ritè cognoscere, postea verò diverso plane pro varietate morbi modo usurpare debet. Inter quam plurima nunc morborum auxilia, quæ India Occidentalis nobis transmittit, frequentis admodum usus sunt varii Cortices, atque inter hos maxime Cortex ille decantatus febrifugus Kinkina; cujus equidem plures jam habemus descriptiones, diverso tempore à variis Authoribus editas, ita ut alieno labore uti, vel inanem operam sumere videatur, qui ejus historiam in dissertatione quadam moliri, sicque jam actum agere non erubescit. Attamen hoc non obstante animum induxi, ea, quæ mihi vera aut saltem probabilia videntur de corticis dicti effectu in corpore humano, & de modo quo usurpari solet, Speciminis Inauguralis loco ventilare. Mihi seu tyroni Medico certè haud contigit vix dum exantlatis examinibus in Medicina novum quid detegere. Insuper quemvis pro arbitrio suo scribere certum est. Unde cum ante aliquod tempus in Nosodochio Basiliensi Corticis Peruviani vires in pluribus febricitantibus observaverim, postea vero Lugduni-Batavorum in proprio meo corpusculo post febrim acutam tertianâ infirmo expertus fuerim, mihi constitutum est, in hac Dissertatione primò historiam originis & locum natalem hujus remedii ex optimis Authoribus, quos hinc indè citabo, tradere; dein verò naturam & differentiam indicare; denique vires ejus ac modum

*usurpandi nostra in regione (ita ut in collegiis publicis
privatisque annotare licuit) exponere conabor. Ubi-
que verò ea tantum prolaturus sum, quæ vel authori-
tate, vel ratione, vel experientia, vel omnibus simul
firmari possunt. Diligentia autem duce, methodo
comite ea haud difficilè consequi
potero.*





DISSERTATIONIS INAUGURALIS
De
CORTICE PERUVIANO

C A P. I.

Historiam originis continens.

§. I.



ORTEX Kinkina nostræ nunc considerationis, distinctus ab alio ejusdem juxta plures Authores nominis, scilicet spurio ac novo, seu fœmina Cascarilla, diu satis ante hunc innotuit, atque in Medicinam receptus est; longè diutius verò apud Barbaras Gentes & Ethnicos latitavit, antequam proximè prægresso seculo in Medicorum notitiam devenerit. An autem culpa talis ignorantiae Europæorum in Indias unde cortex provenit navigantium negligentiae, vel potius Americanorum invidiæ adscribenda sit? dicere non ausim. Hoc interim

interim certum esse existimo, Gentiles illos Americæ plura in arcanis habere, quæ avidos Europæos celant quantum possunt, ac sæpe omni studio cavent, ne suis facillè terminis ac limitibus efferantur. Quamquam enim Christophorus Columbus jam ante bina secula Insulas Americanas detexerit, atque ab eo tempore navigationes in istam mundi partem frequentiores redditæ sint; Cortex tamen noster vixdum circa medium ultimi seculi inclaruit; Unde Medici quidam conjecerunt, Americanos data opera, inter alia & hoc specificum antifebrile tamdiu reticuisse, spequè vana lactatos fuisse, fortè Hispanos, à quibus admodum duriter tractati & habiti fuere, crebrioribus febrium in locis tam insalubribus insultibus vel consumi, vel cicurari posse, si tam nobile, tamque certum remedii genus perpetim ignorarent. Egregiè proin ludit ac fallit, vel ipsemet fallitur, qui eam febres per usum Kinkinæ sanandi rationem aut methodum jam Hippocrati cognitam fuisse aliis obtrudere vellet. Cum tamen Senex iste Medicus notitia ejus penitus fuerit destitutus; saltem in hujus scriptis ne minimum datur, ex quo vel species veritatis elucesceret. Exinde enim, quod Hippocrates plures alterantium imprimis ope febres curaverit, non sequitur, illum corticis dicti auxilio id fecisse.

§. II.

Diu itaque absconditum Specificum Antifebrile nostrum tandem curâ solertiâque Hispanorum patefactum fuit; quippe cum aliquo tempore Uxor Proregis in America, Comitissæ del Cinchon Limæ, quæ est Metropolis Regni Peruviani, ex febre tertiana gravissimè decumberet, atque ab omnibus remediis adhibitis nihil quidquam levaminis sentiret, imo indies morbi sævitiâ magis excruciaetur, præfectus urbis aut munimenti Loxæ, natione Hispanus, statu morbi hujus jamjam periculoso comperto, Proregem certiore fecit, sibi ad manus esse remedium à fido quodam Americano gratitudinis causâ acceptum, cujus usu ægrota Proregina febrim

febrim indubiè depellere, atque pristinam fanitatem recuperare posset: Avida hinc tam certæ tamque securæ Medicinæ Regina pulverem corticis peruviani transmissum, utut injucundum aliquoties assumsit, & paucis inde diebus à molestissima febris ægritudine felicissimè liberata fuit. Quo facto fama tam nobilis tamque efficacis remedii per totam statim Americæ partem Hispanicam dissipata est, atque sine dubio multis aliis febricitantibus tum quoque ingenti fuit solatio; Cumque non longè post dictus Prorex cum familia sua in Hispaniam revocatus trajiceret, & in hoc quoque Regno istud medicamenti genus sensim percrebuit, sicque paulatim in usum vocari cœpit. Anno deinde Salutis circiter millesimo sexcentesimo quadragesimo nono Patres quidam Venerabilis Societatis Jesu ex America reduces facti, schediasmate peculiari evulgato, antifebrilis hujus corticis naturam, vires & usum publicaverunt, & per universam Italiam vicinasque regiones disseminarunt, magno eum ubique pretio vendentes.

§. III.

Cum autem experimenta hinc inde instituta & observationes multiplices Corticis Kinkinæ efficaciam in febribus præcipuè intermittentibus sanandis magnoperè confirmassent, & inde haud ineptè multi judicarent, tanta remediorum farragine in febribus extirpandis non amplius opus esse; Pharmacopæi plures hinc inde consilium inibant de suppressenda corticis tam pollentis fama, ne in posterum succinctâ hâc febres tollendi methodo sibimet occasio furripiatur ingenti cum lucro copiam Medicamentorum diversorum ægris dispensandi. (1)

§. IV.

Sed & cum perversa remedii nostri exhibitione, vel
B Diæta

(1) Rich. Morton. Oper. Med. Tom. 2. p. 69.

Diæta requisita minus benè observata, subinde febris nonnullis post intervallum aliquod temporis rediret, vel alia etiam symptomata relinqueret, quidam Medicorum aliàs non indocti contra illius usum quoque infurgebant; quos inter præcipui erant Joh. Jacobus Chiffletius (1), & Vopisc. Fortunanus Plempius (2), qui in novum hoc antifebrile remedium ita debacchati sunt, ut aliquot dein annorum spatio oblivioni ferè datum fuerit: Donec Medicus ille Genuensis Sebastianus Badus (3) Plempii cavillationibus ita satisfecerit, ut de remedii innocentia postmodum non amplius dubitaretur; quam etiam Anno 1659. Rulandus Sturmius Medicus Delphenensis scitè satis & eleganter vindicavit, horum verò sententias plurimis rationibus & observationibus firmatas legimus apud Thom. Sydenhamum (4), Richardum Mortonum (5), Joh. Bohnium (7) & alios multos.

§. V.

Post illa tempora febrifugum Corticis Kinkinæ remedium paulatim in Anglia & Gallia valdoperè increbuit; præprimis ubi Galliæ Delphinus quartanâ exquisitâ detentus, tot aliis frustra adhibitis remediis, solo Cortice Peruviano, à Talbotio Anglo oblato, felicissimè restitutus fuerat, unde factum, ut Delphini pater Potentissimus Rex LUDOVICUS XIV. medicamentum à Talbotio in secretis habitum, magno pretio redimeret, ac in subditorum solatium scripto publico per famosissimum Pharmacopæum de Blegny in lucem edito diffunderet, sub titulo *Remedii Anglici pro curatione februm Regis jussu communicati*: G. Remède Anglois pour la guerison de Fièvres publié par ordre du Roy.

§. VI.

(1) In tractatu singulari de Cortice, Bruxell. 1653. edit. (2) In scripto 1655. divulgato. (3) Anastasis cortic. An. 1663. publici juris facta Libr. 2. c. 8. (4) Oper. p. m. 299. (5) Oper. Med. Tom. 2. p. 70. (6) Oeconomia Corpor. Anim. p. m. 629. seq.

§. VI.

Hæc nunc est brevis historia originis hujus remedii, sequitur jam, ut ad descriptionem ejus veniam, nihil enim plus juvat Medicum in sanandis morbis quam morbo prius ritè cognito remediorum cognitio perfecta; ad quam itaque omnes contendere debemus, ne facile ab aliis in fraudem deducamur. Ingentem namque fucum committi inter Exoticorum venditionem experientia quotidiana testis est. Nonne fuère mercatores, qui cortices Cassiæ Caryophyllatæ nomine insignitos, pro Kinkina vendiderunt, cum tamen Cassia ista sit cortex Cinamomi cujusdam ex arbore Canyn-gâ, à populis Orientalibus decerpti, qui colore, sapore, odore, & crassitie multùm à cortice Arboris sic dictæ Gan-naperide Peruviano differt, adeoque potius ad Caryophyllos aromaticos accedit, quos Institores illo etiam Cinamomo Caryophyllato adulterare solent. Coeterum & Cassia ista habet laminas longè tenuiores Kinkinâ verâ.

CAP. II.

*De Genere, Solo natali, Differentia, Viribusque
Corticis in genere.*

§. VII.

ANTE omnia hic loci nunc occurrit ratio Nominis inquirenda, quo tanto meliùs in Librorum, in quibus ejus diversimoda fit mentio, lectione versari queamus. Si proin ejus spectemus Ethymologiam & Synonima, Cortex vocatur Peruvianus, quoniam è famoso Americæ Regno Peru, ubi copiosè nascitur, ad nos in Europam defertur. Kinkina ab Hispanis appellatum fuit hoc remedium, quo nomine Corticem exprimunt, atque

κατ' ἐξοχὴν Peruvianum intelligunt. Unde nonnulli perperam corticem Chinæ Chinæ appellavère, cum tamen in China non proveniat: Non est itaque quod Zornius in Botanologia, & alii plurimi nomen hoc reliquis anteponant, cum genuina nomina haud deficient. Quibusdam pulvis Comitissæ dicebatur, quod Comitissa uxor Proregis Comitissæ del Cinchon eo primum usa fuerit, pulvis Jesuiticus, pulvis Patrum, pulvis de Lugo, quoniam Joh. Cardinalis de Lugo Soc. Jes. Romam primus attulit, unde factum est, ut postea ibidem à Collegio Jesuit. Religiosis atque pauperibus gratis dispensaretur. Communis tamen & magis usitata hodiè appellatio est illa Corticis febrifugi, vel Peruviani, vel Kinkinæ; Atque hac ratione facillè distinguitur à Cortice Peruviano altero, cujus Cap. I. §. I. mentio facta est.

§. VIII.

Locus Natalis Kinkinæ est Regnum in America Peruvianum, hujusque provincia Quitensis, in quâ propè Loxam urbem copiose crescit, vel colitur arbor famosum nostrum corticem ferens. Hujus Arboris febrifugæ, Peruvianæ, Kinkinæ, Quinquinæ, & Gannaperide dictæ Ray. h. pl. Palo de Calenturas Hispanorum; accurata & perfecta descriptio diu admodum desiderata fuit.

§. IX.

Cum verò in solemn. Reg. Scientiar. Academ. Paris. Comitissæ An. 1738. Celeberr. D. Dufay veram hujus arboris descriptionem ex Regno Peruano à D. de la Condamine ejusd. Academ. Socio sibi missam tradiderit; Excell. Geoffroy postea eam Mater. Medic. Tom. II. pag. m. 180, sequenti modo inseruit. *Arbor, inquit, corticem ferens peruvianum haud est admodum procera, in plures ramos divaricata, caudice mediocri, cortice autem, ut infra dicitur. Ramos vestiunt folia simplicia opposita, ovato-oblonga, antèrius cuspidata, integerri-*

gerrima, petiolata, tres uncias longa, duas lata, sat crassa, costâ per mediam longitudinem excurrente, ex qua nervi laterales ad oras successivè obliquant. Extremis ramis è summo arboris prodeuntibus unus vel plures innascentur florum fasciculi, figura & colore cœruleo-cinereo, antequam aperiuntur, Lavandulae floribus nominabil similia. Communis florum pedunculus ex alis foliorum emergit, & in plures pedunculos minores divaricatur, singuli singulum florem gerentes, perianthio donatum minimo, quinquedentato, persistente & Embryoni insidente. Corolla monopetala est regularis, infundibuliformis, Hyacinthi flori aliquatenus similis magnitudine & figura, tubo oblongo (9. circiter lineas) limbo patulo, quinque & aliquando sexfido, laciniis acutis, margine attentius inspicienti, leviter serratis. Corolla intus colore est miniato, circa medium vividiori, ad oras pallidiori, extus verò rubore squalido cum lanugine albicante. Stamina quinque pallidè lutea inter corollam recondita stylum circumdant albidum; filiformem, stigmate simplici, viridi, & oblongo instructum, Embryoni insidentem, tubum non excedentem. Embryo autem abit in capsulam olivæ-formem, ab apice ad basim dehiscentem, in duo loculamenta septo intermedio distincta, in quibus semina continentur parva, compressa, margine cincta membranaceo pellucido. Capsula vi elasticâ rumpi solet & semina spargere: Valvæ arescendo breviores fiunt & latiores.

§. X.

Cortex hujus Arboris genuinus ac bonus est crassiusculus, ficcus, extrinsecus scaber, & quandoque muscosus, intus lævis, fibrosus, parumper resinofus, friabilis, coloris rufi vel cinamomei, quandoque ex rufo-ferruginei, saporis valde amari, subadstringentis & levissimè aromatici, odoris exigui, haud ingrati. Hujus loco si Medico occurrat cortex non friabilis, coloris ad nigredinem vergentis, saporis fastidiosè amari, glutinosi, vel & insipidi, odoris foetidi; talis tamquam effoetus, corruptus vel quocunque modo adulteratus, rejiciendus est. Multum enim in hoc situm esse existimo, ut genuinum ac optimum semper eligamus

corticem, sicubi illum cum fructu in usum trahere velimus; sæpenumerò quum in officinis pharmaceuticis habeatur annosus, corruptus, vel etiam adulterinus, qualem pharmacopoeiæ aliquando à peregrinis mercatoribus obtinent, qui fraudulenter alios cortices quodammodo nostro Peruviano similes succo Aloës, ad amarorem conciliandum, tinctos ac imbutos substituunt.

§. XI.

Virtutem & efficaciam corticis nostri febrifugam, cum ubique terrarum, vel cuivis aniculæ nota sit, multis ut describam, non necesse duco; potius nunc me confero ad exquirendam rationem, qua decantatam suam virtutem in corpore humano præstare solet, & modum, quem in ejus usu observare solemus. Quodsi itaque consideremus, corticem nostrum Analyfi chymicæ subjectum præbere præter fat multum phlegmatis acidi, partes oleosas, salinas, ut chemici docent. Facile judicare licet, corticem hunc ob dictas partes, & insignem, qua pollet, amaritiem, insignes quoque in corpore humano edere effectus, pro complexionum diversitate & aliis concurrentibus circumstantiis quodammodo etiam varios; quippe qui habent teneras Ventriculi ac Intestinorum fibrillas, ab illius usu nonnunquam, ob acceptum vellicationis sensum justò majorem, per inferiora, rarissimè per superiora, purgantur. In infantibus, pueris atque puellis ejus effectum quandoque vermes necantur & expelluntur. Præterea Medicorum multi observarunt, corticis hujus amari usum, ciborum appetitum deficientem vel languentem resuscitari, materiem febrilem destrui, tonum postea partium nervosarum leni ejus adstringente efficaciâ roborari ac firmari; Ratione porrò particularum valde subtilium salino-sulphurearum atque oleosarum facultatem quoque habet aperientem, resolventem, discutientem, moventem &c. Ut adeo remedii hujus usus in plurimis morbis admodum efficax sit, quemadmodum Practico

corticorum experientia quotidie testatur; ita enim non solum in febribus intermittentibus, verum quandoque in continuis remittentibus (1), sicut etiam in necandis Vermibus, Cephalalgis, nec non in Convulsionibus & Hæmorrhagiis cum successu felici adhibitus fuit (2). Potissima tamen & quasi specifica ipsius qualitas ac virtus est antifebrilis, ut ea propter etiam titulum Corticis febrifugi meruerit; quamvis autem non omnes indiscriminatim febres discutiat, pleasque tamen intermittentes, & inter has sæpe chronicas, aut pro incurabilibus habitas rectè adhibitus superare solet. Ita ut Medici apud nos & alibi in curatione intermittentium quotidianarum, tertianarum, quartanarum, simplicium, duplicium, triplicium, imo etiam quandoque continuarum remittentium ad usum Corticis nostri confugere coacti sint. In quibus certè omnibus citò tutoque debellandis par Cortici huic remedium hætenus repertum non est. Cujus rei exempla innumera allegare possemus eorum, quos talibus afflictos febribus remedii nostri ferè infallibilis ope pristinae sanitati restitutos, novimus; multoties quidem febres intermittentes corpore prius ritè purgato aliis quoque tutis cederent remediis, modo ægrotantes ea, quæ par est, uti vellent aut possent patientia, hujus verò defectu ut plurimum Medicos suos cogunt, ut ad corticis usum, tamquam ad sacram confugiant anchoram.

§. XII.

Verum sicuti haud rarò a Venenis præstantissima remedia præparata maximopere profunt, ita vicissim optima Medicamenta Venenorum induunt naturam, quando vel perversè ac intempestivè; vel immodicè usurpantur. Idem profectò nostræ quoque Kinkinae sæpe accidit, quod nempe malè administrata, vel haud opportuno tempore adhibita languorem diuturnum, vel & quandoque Hydropem, vel cachexiam

(1) Vid. Sydenham. op. Med. p. m. 304.

(2) Id. p. m. 412.

chexiam diuturnam, post se relinquat, id quod à practicis jam diu observatum fuit. Quandoque enim Medici in ægrotantibus, qui corticem perverso modo usurparunt, necesse habent, intermittentem, qua prius laborarunt, febrim per fractâ dosi exhibitum Rhabarbarum, aut aliud conveniens remedium resuscitare, aliaque deinceps methodo curare.

§. XIII.

Antea dictum est, quod Cortex Peruvianus quandoquè etiam in febribus continuis proficius sit; Quæstio ergo heic incidit: An non idem in febre Ephemera, in Synocho, vel etiam in Caussu cum fructu queat in usum trahi? Equidem novinius, Gallicos aliquot Medicos hoc tentasse, indequè bonum, ut testantur, expertos fuisse successum. Verum ipsemet, ut fatear, in his morbis Corticis effectum nondum vidi; Insuper planè mihi persuasum habeo, multiplicari adhuc debere experientiam Corticis in hisce continuis febribus, antequam certus aliquis effectus stabiliri possit.

C A P. III.

*De Vario, corticem Peruvianum usurpandi
Modo.*

§. XIV.

QUOD nunc attinet remedia, è Cortice Kinkina five præparata, five composita, ea quidem diversa sunt, non omnia tamen planè ejusdem contra febres efficacisë. Primum autem remedium exinde paratum simplicissima est Corticis nostri comminutio, & in pollinem five pulverem subtilissimum redactio, qui pulvis dein ut plurimum in substantia à scrup. duobus ad drachm. i. bis pluries,

riefve, pro Circumftantiarum ratione, de die exhiberi folet cum diverfis vehiculis, ficuti mox explicabitur.

§. XV.

Multis ægrotantibus cum forma pulveris præcipuè tam amari, & quoad levitatem vel dofim tam prolixi non arri- deat; multi Medicorum Effentiam vel Tincturam ejus af- fufo quodam menftruo idoneo elicere ftudebant. Jam ve- rò cum nunc aquofo, nunc fpirituofò liquore, nunc fim- plices magis, nunc compofitæ præparationes tales fieri poffint, fequentes aliquot apud nos in officinis occurrentes & approbatas apponere volui. Primò nempè Tinctura quan- doque quibusdam placet per decoctionem in aqua fimplici feq. Rec. Corticis Peruvian. opt. groff. mod. pulverifat. unc. vi. aquæ fimplicis fontanæ, vel quæ melior eft, Thermalis Fabarienfis vel Leycenfis libr. ii. vel. iii. Coq. ad remanen- tiam dimidiæ partis, quam per colaturam aufer, & remanen- tiam Corticis in aqua noviter affufa fimili modo coque, at- que colaturam priori affunde, tandem toti huic decoctioni adde fyrup. aperitiv. Mind. & capillor. Vener. q. f. ad ali- qualem gratiam; cujus deinde manè ac vefperi unc. iii. iv. & ultra tempore *ἀπυρεξίας* fumi poffunt. Hujus loco etiam quandoque Tincturam vel Decoctum magis compofitum feq. cum fuccellu felici exhibitum vidimus. Rec Cortic. Kinkin. opt. unc. iv. Fraxin. unc. unam. fem. Radic. Calam. Aromat. Cichor. Apij. Gentian. maj. ana unc. femis vel drachm. vi. Fol. Card. Bened. Summitat. Centaur. min. ana man. fem. Cinamom. acuf. opt. drachm. i. Sal. Abfynth. Tartar. Nitr. præparat. aa drachm. fem. Inc. & contuf. coq. in Aqu. fontan. libr. vi. colat. alb. ovor. clarificat. libr. iv. admisc. Syrup. flor. Tunic. Card. Be- ned. vel. Cortic. Aurant. ana unc. ii. Misc. eadem dofi ac præcedens, eodemque temporis intervallo propinari potelt.

§. XVI.

Alia iterum præparatio ab Anglis primùm introducta eft: Infufio nempè Corticis pulverifati cum vel fine vino fequen-

ti modo. Rec. pulver. Cortic. peruvian. opt. unc. i. fs. Sal. Centaur. min. vel Absynth. drachm. i. misc. f. pulv. subtil. cui in phiala vitrea vel terrea affund. vin. alb. generos. veter. libr. i i i. fs. stent in loco tepido, subinde agitando, ita ut postea liquoris hujus turbidi unc. ij. v. iij. singulis quadrihoriis tempore intercalari hauriantur. Vel. Rec. Cortic. Peruvian. opt. unc. i. fs. Sal. Centaur. min. drachm. i. v. scrup. iv. misc. f. pulv. subt. cui in idoneo vase affunde aqu. fontan. opt. vel si haberi posset apud nos piperinæ libr. iv. stent intra aquam calentem in digestionem; cujus dein dosi cum præced. eadem ter, quater vel pluries de die sumend.

§. XVII.

Tinctura five Essentia cum spirituoso liquore sequenti modo extrahitur. Rec. Cortic. Kinkin. opt. unc. iij. Sal. Juniper. vel Card. Bened. drachm. i. Tartar. drachm. ij. Cinamom. opt. scrup. i. spirit. Cerasor. nigr. vel Vini rectificat. q. f. stent in digestionem per plures dies; Hujus liquoris filtrati dosi erit scrup. i. ad ij. cum vehicul. conveniente. Vel composita magis. Rec. Cortic. Peruvian. opt. unc. i i. fs. Rad. Imperat. Gentian. ana. drachm. ij. Aloës succotr. unc. i. Myrrh. el. unc. fs. Croc. opt. drachm. i. Camphor. scrup. i. Theriac. Andromach. drachm. iij. v. unc. fs. sal. tartar. drachm. i. conc. & cont. affund. Spirit. Vin. rectificat. q. f. stent probè tecta in digestionem per sufficiens tempus. Hinc liquorem tinctum per decantationem aufer atque in vitris probè clausis usui asserva. Dosi erit gtt. xxxv. vel plur. bis v. pluries de die cum vehiculo conveniente. Hæc tamen præparatio apud nos usus tam frequentis non est, ac aliæ de quibus postea. Idem ferè de pillulis è cortice nostro compositis affirmare possumus, quæ ex Extracto formari possunt sequenti modo. Rec. Essent. vel Tinctur. simpl. Cortic. libr. i. abstrahe hinc spiritum per Alembicum usque ad melleagineam consistentiam, quam dein in pyxide ad usum asserva. Cujus Dosi scrup. i. vel drachm. fs. bis vel ter de die cum vehiculo idoneo.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ab aliquo tempore etiam apud nos Practici commendare solent syrupum febrifugum cum Cortice Peruviano præparatum eo vel simili modo, quo legitur in Mater. Medic. supra jam allegati Excell. Geoffroy Tom.2. p. m. 295. seq. Vel etiam Electuarium antifebrile Celeberr. Hoffmanni; vel huic simile prout in sequentibus videbimus.

§. XIX.

Hæcque ferè sunt, quæ communiter apud nos è Peruviano cortice parata in febribus intermittentibus sanandis adhiberi solent. Quoniam verò haud sufficit Medico practico talia scire, oportet etiam cognoscat methodum ejuscemodi remedia opportuno tempore usurpandi, si quidem feliciter sanare cupit, utpote in cujus cognitione plus ponitur, quam vulgò creditur. Multi equidem ubique ferè existunt Medici suique pro his illisque morbis arcana sive secreta remedia jactitantes, imo etiam Panaceas, seu remedia universalia producentes. Verum omnes hosce haud magnifacimus, cum eventus rarò ipsorum promissis hætenus respondere observatus sit. Sanè multi eorum non tam sanitati hominum perfectè restituendæ, quam oculis eorundem emungendis intenti sunt. Optima namque medentium arcana remedia hucusque cum plerisque rationalibus Medicis credimus ac deprehendimus esse, accuratam naturalis ac præternaturalis structuræ vel constitutionis corporis humani notitiam, perfectam dein tum auxiliorum medicorum, sive Materiæ medicæ cognitionem, tandemque debitum & summa cum prudentia factum in adhibenda medendi methodo judicium.

§. XX.

Quam ob rem optimè Capi vaccius Excell. iste Veterum Italorum Medicus discipulis suis arcana petentibus respondisse mihi videtur: Discite meam medendi methodum, & sat habebitis Arcanorum! Certe enim arcana illa omnia,

quæ magno subindè pretio vendunt atque dispensant multi, ejus nunquam virtutis deprehenduntur, ut similem in plerisque individuis effectum salutarem producant; cum enim certæ dispositiones sive menstrui stomachici & intestinorum, sive humorum corporis, sive fibrarum & pororum remediorum quorumcunque vires ac operationes determinare soleant, vixque duos liceat invenire homines iisdem plane complexionibus pollentes, impossibile prorsus est, ut arcanum ejusmodi remedium omnibus ægrotantibus quadrare similesque in singulis effectus speratos efficere queat: ut adeo pro Empiricis, pro agyrtis, atque pro nugivendulis tantum non omnes haberi debeant, qui privatæ cujusdam utilitatis aut inanis gloriæ causâ secreta talia divendunt, vel aliis obtrudere fatagunt. Quanto igitur magis illi sunt æstimandi, commendandique Medici, qui medendi methodum requisitam ad statum quorumcunque morborum scitè accommodare, & dirigere, sicque summa cum prudentia medicinam exercere solent, ad Mechanismum corporis humani in morborum productione, non secus ac in operatione remediorum attendentes ac reflectentes; Ita ut more Mathematicorum omnia, quantum possibile est secundum certas regulas & leges perficere studeant.

§. XXI.

Quodsi jam Medicus in febribus intermittentibus extirpandis felici cum successu Corticem adhibere velit, frequentia probe animadvertere debet. Corpus ægri ante omnia protinus est præparandum, atque impedimenta felicitatis operationis primum tollenda, antequam ad usum Corticis veniat. Impedimenta tollimus itaque, si ante omnia doses aliquot pulveris alicujus digestivi exhibemus, qui ex incidentibus, absorbentibus, resolventibus &c. præparari potest. Exempli loco fit seq. pro homine adulto. Recip. Lapid. Cancror. pt. Sal. centaur. min. Arcan. duplicat. Antimon. diaphoret. aa Scrup. ii. Misc. fiat pulv. subtil. dividendus in quatuor partes æquales ad chart. ut æger singulis quatuor vel. sex. horis

ris unam capiat cum jusculo diluto, vel aqua quacunque idonea & conveniente. Similique modo diversimodas pro lubitu v. circumstantiarum ratione componere licet formulas pulverum. Cum verò idem in forma fluidi magis arrideat, sequi modo fieri potest: Recip. Elix. propriet. Clauder. Tinctur. Antimon. v. Corallor. ana drachm. i. Misc. dentur ad vitrum. Ut gutt. xxxv. vel xl. mane ac vesperi cum vehiculo idoneo capiantur. Hisce præmissis digestivis nullum si præsens fuerit contraindicans, veniendum est ad tutum Vomitorium aut catharticum medicamentum. Cujus necessitatem hisce verbis nobis describit Celeberr. Boerhaave in Aphorismis suis de cognoscendis curandisque morbis pag. 160. §. 759. *Quin, inquit, abundanti Colluviei in primis viis purgans, vomitoriumve, sæpè prodest tollendæ; dando ante paroxysmum eo spatio, quo ante hunc effectum præstat. Id faciendum cognoscitur, ex victu; morbis, symptomatibusque prægressis, nausæâ, vomitu, ructu, tumore, halitu, sordibus linguæ, gutturis, palati, ἀρογξία, amarore oris, vertigine tenebrosâ & absolutâ operatione dato opiato sedatus ante febrim tumultus sit.* Si ergo nullum adest contraindicans; seq. vel alia quæcunque præscribi potest formula. Recip. Pulver. Radic. Ipecacuannh. opt. drachm. fs. Arcan. duplicat. Myns. scrup. fs. Syrup. Violar. drachm. i. Aqu. flor. Acaciar. unc. fs. Misc. ut jejuno stomacho tempore à febre libero capiat, superbibendo post singulas vomitiones dilutum jusculum, vel tepidum iulapium è Syr. de Alth. Fernel. alioque. Si autem per Inferiora evacuatio requiratur, sequens dari poterit: Recip. Sal. Cathartic. Seignett. unc. i. solv. in aq. Cichor. q. f. superaddendo Tinctur. Rhabarbar. Rolfinc. drachm. iiij. v. unc. fs. Misc. ut æger ante dicto tempore hauriat, ingestis subinde jusculis dilutis, aut infuso Théë dilutissimo; Ita aliæ æquè tutæ simili ratione formulæ cujusvis palato accommodatæ formari aut præscribi possunt. Purgato dein corpore in febre intermittente, si sitis valida sit, appetitus prostratus, urina admodum tincta &c. antequam Cortex Kinkina usurpetur, plures adhuc doses pulveris incidentis, absorbentis, temperantis, diaphoretici assumendi sunt. Dum febris verò in statu; indicantur

C 3

aquosa,

aquosa, calida actu, subacidis, aperientibus nitrosisque permittis, vel & cichoraceis similibusque blandis aperientibus, quiete, calore moderato tunc æger eget (1). Sequens ergo aut similis mixtura v. Julapium concedi potest. Recip. Aq. Cich. Borrag. Scorzon. ana. unc. ij. Syrup. Acetosit. Citr. drachm. iij. vel unc. fs. Antimon. diaphor. Corall. rubr. pt. ana. scrup. ij. nitr. pt. vel antimoniat. scrup. i. Misc. ut æger singulis horis duo vel tria capiat cochlearia. Tempore *ἀνρυξίας* per plures dies etiam uti potest decocto vel infuso quodam amaro, aperiente; Exempl. gr. Recip. Rad. Gentian. maj. Cichor. ana. unc. fs. Herbar. Card. Bened. Summit. Centaur. min. ana. manipul. i. Flor. Chamæm. manip. fs. Sal. Tartar. drachm. i. Concil. & contus. misc. ut dimidia pars cum quatuor libris aquæ fontanæ coquatur, & postea singulis sex horis unc. iv. vel vi. hauriantur.

§. XXII.

Inter usum nunc talium Medicamentorum si febris non mitigari incipiat, neque alia contraindicent; protinus ad usum Corticis expositi febrifugi veniendum est: Hunc autem variis modis exhiberi posse jam ex antecedentibus colligi potest; & frequenter in pulvere, vel substantia sine vel cum aliis admixtis optimè cessisse observavi. Si verò forma infusi magis arrideat, sequens vel simile haud sine felici effectû præscriptum vidi. Recip. Cortic. Peruvian. opt. drachm. x. Winteran. vel Cascarill. drachm. ij. Sal. absynth. drachm. i. Nitr. Antimoniat. drachm. fs. Misc. fiat pulv. subtil. cum libr. iij. Vin. alb. veter. opt. & aq. fontan. libr. i. infundendus & subinde agitandus, turbidique postea hujus liquoris unc. iv. vel ultra singulis sex horis extra paroxysmum ebibi possunt. Quibusdam etiam ad mentem Celeberr. Hoffmanni in forma electuarii cum fructu datum observavi. Loco Electuarii Antifebrilis Hoffmanni sequens aut simile frequenter præscribitur. Recip. Conserv. Fumar. Roob Sambuc. ana. unc. fs. Cortic. Kinkin. opt. unc. i. Extract. Chamæm.

(1) Cl. Boerhaav. in Aphorism. pag. 161. §. 763.

mām. Centaur. min. ana. drachm. i. Caryophyll. arom. scrup. i. Tartar. tartarifat. scrup. ij. Misce fiat Elect. singulis trihoriis ad scrup. ij. vel drachm. i. præbendum. Hic verò notandum est, ejuscemodi Electuaria in aëre calido facillimè fermentescere, ita ut haud sine aliquali incommodo assumi queant, vel nonnunquam etiam Diarrhoeam excitent, ita ut aliquando necessaria sit admixtio adstringentis & subanodynii cujusdam remedii, vel etiam in debilitatibus Cardiaci cujusdam ex confectione Alkermes, de Hyacintho, vel similibus.

§. XXIII.

Corticis Peruviani essentia vel & Extractum in forma pilulari, aut etiam pulvis cum conserva in forma boli cum rarius ægrotantibus nostris arrideant, non opus erit harum formularum copiam adponere.

§. XXIV.

Quod si jam usu hujus Corticis febris cesset, nihilominus per plures Dies æger in eo pergere debet, ita ut fracta dosi sensim ac sensim assumere desinat; adeoque pro re nata poterit vel dosim imminuere, vel intervalla pro assumptione majora ponere. Hac namque ratione, teste summo in praxi Medica Viro Sydenhamo Op. p. m. 302. & consensu plerorumque aliorum practitorum recidivæ præcaveri possunt.

§. XXV.

In Epilepsia, Convulsionibus imò etiam passionibus hystericis, & Hemicrania periodica felici cum successu sequenti modo datum novi. Recip. Cortic. Peruvian. opt. drachm. i. fs. Radic. Pæoniæ mar. Cinabar. antimon. rectific. Diaphoret. Jovial. Arcani duplicat. Mynf. ää. scrup. i. Ambr. Gryf. scrup. fs. Theriac. coelest. gr. vi. Misce fiat pulv. subtt. dividendus in vi. dof.

dof. æquales , ut manè ac vespèri una. cum aqua flor. Tiliæ & tantillo Syrup. flor. Tunicæ assumatur.

§. XXVI.

Morbos soporosos Apoplexiam sæpè mentientes , febri-
li tamen similis fomitis indicia exhibentes , æquè certò ac fe-
bres intermittentes superari posse usu tempestivè adhibiti Corti-
cis Peruviani testantur cum Excell. Sydenhamo op. p. m. 307.
varii Authores : Ejusdem efficaciam in Ictero peculiari confir-
mavit dissertatione Cl. Alex. Camerarius ; Ita sanè affectus ex
febris intermittens profapia degeneres , sub statu epidemico
febricoso frequentissimos , innumerabilibus modis fucum fa-
cientes , detracta persagacis Medici judicium larva , solitarius
Cortex , vel aptè mixtus , expeditè ad sanitatem perducit.
Werlhof in tract. de Febr. intermitt. p. m. 61. Inter alia verò
certissimum latentis febris intermittens signum in hisce mor-
bis est color urinæ , quæ in intermittentibus saturato exstat ru-
bore , ac sedimentum , pulverem laterum ferè referens de-
ponit. Sunt insuper nonnulli , qui corticem nostrum cum
Conf. Alkerm. tamquam probatum , ac præstantissimum re-
medium imò specificum laudant in gangræna & sphacelo , qua
de re plura leguntur in supra cit. tract. Werlhofii p. m. 255.
& 332.

§. XXVII.

Hæc itaque nunc sunt L. B. quæ de Cortice Kinkinæ &
imprimis de modo illum in febribus intermittentibus apud nos
adhibendi consueti speciminis inauguralis loco proponere
volui. Fateor plura alia addere potuissem , verùm ad quævis
descendere singularia mihi in patriam festinanti non licuit.
Nonnulla alia minùs ritè forte exposita L. B. facilè condonabit.

T A N T U M .

